



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Viator Christianvs Recta Ac Regia in coelum Via tendens**

Soliloquium Animae. Vallis Liliorum. De Tribus Tabernaculis. Gemitus & suspiria animæ pœnitentis, seu de Vera Compunctione Cordis. Cohortatio ad Spiritualem profectum

**Thomas <von Kempen>**

**Coloniae Agrippinae, 1682**

IX. De recollectione cordis cum Deo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53320](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53320)



parit fiducia,  
mala timorem.

lacione, et in morte; mala autem conscientia semper est in timore & in lite.

Iracundus cito cadit de uno malo in aliud pejus. Patiens & mitis de hoste facit amicum, & Deum inveniet tibi semper propitium, propter pietatem erga peccantem.

CAP. IX. De recollectione cordis cum Deo.

Luca II.

**Q**ui non colligit mecum, dispergit, ait Dominus noster Jesus Christus.

Quid faciendum in distractione cordis.

Cum fueris multum dispersus & indevotus propter multiplices diaboli phantasias, & amaras passiones cordis, & hominum displicentias te inquietantes; stude te recolligere in secreto, per Orationem Dominicam & Angelicam Salutationem; & prosterne te solo tenus ante sanctam Crucem, vel beatæ Virginis Mariæ imaginem, aut alicujus Sancti devotam picturam, ad Dei honorem Sanctorumque memoriam factam.

Invoca præcipue Jesum & Ma-



Mariam, cum omnibus Angelis  
& cœli civibus, pro misericor-  
dia & gratia divinæ consolatio-  
nis tibi iterum reddenda: & dic  
cum sancto David in Psalmo:  
*Domine ante te omne desiderium* Psal. 37.  
*meum, & gemitus meus à te non*  
*est absconditus.* Domine spes  
mea à juventute, ad te confugio  
in tribulatione mea.

2. O Domine, doce me sem-  
per sequi & facere voluntatem  
tuam, & relinquere meam: quia  
hoc beneplacitum est tibi, & uti-  
le mihi, pro salute animæ meæ.

Aspiratio  
ad Chri-  
stum piis-  
sima.

Domine, nunquam mihi con-  
tingat aliquid cogitare, vel desi-  
derare, aut operari, quod displiceat  
tibi, aut alteri noceat, sicut  
præcepisti mihi & omnibus ser-  
vientibus tibi.

Cum contrarium ago, corrige  
me in misericordia tua, & non in  
ira perdas me. Quia Deus meus es  
tu, & ego pauper & fragilis ser-  
vus tuus, gratia & misericordia  
tua in omnibus maxime egens.  
Sit nomen sanctum tuum, nunc  
& in æternum, super omnia be-  
nedictum, Amen.

CAP.